



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Continens Armamentarium Seu Panoplima Spiritualem - Id est, Varia arma  
& media ad omnis generis tentationes fortiter sustinendas, & feliciter  
superandas, Ad Omnium Quidem Animarum

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1688**

Tent. VII. Ob carentiam fructûs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48377)

tus sit in mundo, facile ostendit, se phrenesi laborare, si tecum non maneat libenter.

CXXVI. Quintò denique commune ei Ascetarum axioma in memoriam revocet, quo dicunt: *Scientia, qua propter virtutem despicitur, per virtutem melius recuperatur.* Jubeat proin & ipsum sperare, quòd, si magna in Christum fiducia fructum illum, quem ex labore diuturniori & industria sua sperare poterat, generosè contemnat, multiplici scœnore eundem recuperaturus, illudque Christi Jo. 15. implendum sit: *Qui manet in me, & ego in eo, hic fere fructum multum.* Nimirum ipse est, de quo Thomas Kemp. l. 3. c. 43. ait: *Ego sum, qui humilem in puncto elevo mentem, ut plures aeterna veritatis capias rationes, quàm si decem annis in scholis studuisset.* Audiat ergo S. Chrylostomi ho. 16. ad Pop. monitum: *Ne cures tua, sed ea DEO dimitte. Nam si satagas, tanquam Homo satagis: si verò dimittas, DEUS providebit. Si verò & ipse spiritualibus omissis ea tractaveris, non multam ipse curam geret. Ut igitur & hac tibi disponantur (puta quæcunque negotia tua) & omni curâ libereris (de felici successu) spiritualia tene (maximè longiorem cum Christo Eucharistico conversationem) contemne secularia, seu quascunque alias occupationes.*

## §. VII.

### Tentatio VII. ob carentiam fructûs.

CXXVII. **C**ordula Virgo devota singulis quidem septimanis confitetur, & communicat; sed quia post toties iteratas communiones nullum



lum advertit fructum, sed antiquis vitijs & imperfectionibus perinde ut prius subjectam se esse, graviter tentatur, & impellitur ad communionem non quidem omnino contemnendam, & negligendam, sed tamen rariùs peragendam. Antè tamen, quàm hoc omnino concludat, Confessario hanc suam tentationem manifestat, ejùsque consilium requirit. Quomodo rigitur, quomodo huic tentationi occurrere debet Confessarius?

*Responsio.*

CXXVIII. Inprimis ei ostendat, sæpe communionis vicio fieri, quòd optatus fructus ab ijs non referatur, quando scilicet vel malè se præparant, vel affectus quosdam inordinatos habent, quos vincere ipsi non student; nam Evcharistia perinde ut agentia naturalia operatur plùs, vel minùs, prout subjectum magis vel minùs dispositum reperit. Jubeat ergo illam inquirere, an non simile impedimentum etiam ipsa posterit, sicque effecerit, ut optatus fructum non referret; sicut enim ignis fortius accenditur in ligno sicco, quàm viridi exardescit, ita Christus in Evcharistia citius & copiosius amore suo accendit illum, qui à terrenis cupiditatibus exsiccatus est, quàm quem iisdem adhuc repletum invenit.

CXXIX. Secundò eidem significet, quòd, si non advertat fructum sensibiliter, non tamen inde bene concludat, quòd nullum referat; nam & in corpore non semper sentimus fructum cibi sumptionis, tamen non propterea sumptionem talem omittimus, cum sciamus, nos insensibiliter crescere, aut crassescere, aut pinguescere, aut certè vitam conservare per illam.



illum. Idem ergo per cibum hunc cœlestem sibi fieri existimet, sicque perinde illum, ac cibum corporalem vitæ corporis fructuosum existimet.

CXXX. Tertio hortetur, ut, quemadmodum S. Ignatius Loiola, cum ei obijceretur, frustra ipsum pro meretricibus domum tanto labore & sumptu ædificasse, eò quòd quamprimùm ad vomitum sint reversuræ. Respondit, sat magnum operæ & impensæ pretium se reportasse, si per illas effecerit, ut vel unâ nocte à peccato se abstinuerint; ita & ipsa credat, se sat magnum ex communione fructum reportasse, si vel hoc tempore, quo communicat, à peccatis abstineat, Deoque, & Angelis, Sanctisque gratum per communionem talem obsequium præster, cum vel unica corporis Christi oblatio gratior illis accidat, quàm si omnes etiam possibiles virtutum actus fuissent oblati.

CXXXI. Quarto illi significet, quod Rodriquez. p. 2. tr. 8. c. 13. bene advertit, nempe non solum progredi, sed etiam non cadere in peccata mortalia sat magnum fructum esse; cum non sit minoris æstima-  
 manda medicina præservans, quàm sanans. Unde Patres Tridentini s. 13. c. 2. hoc Sacramentum Antidotum nominarunt, quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservamur. Non itaque demittat animum, nec communionem omit-  
 tat; si enim toties communicans cespitat, meritò, si omnino abstineret, timendum foret, ne sæpius & gravius prolaberetur.

CXXXI. Quintò denique ei alium adhuc fructum non minùs optandum ostendat, nempe quòd, quò se in ætatiorem cum Christo in Eucharistia consuetudi-

H

neat



nem insinuat, tantò meliùs eum cognitura, imper-  
 siùsque cultura sit, ut vel in beatis mentibus vide-  
 est; & in Samaritana Muliere, quæ, uti c. 4. ap-  
 D. Joannem legere est, quò diutiùs cum Christo con-  
 versata est, tantò clariorem illius notitiam sortita est,  
 nam ab initio Judæum quasi unum de plebe nomi-  
 navit, mox Dominum, postea Prophetam, & tan-  
 dem omninò ut Messiam agnovit, & venerata est.  
 Idem ergo Sacramenta frequentantibus usuvenit,  
 prorsus una communio ad alteram sit dispositio.

## §. VIII.

*Tentatio VIII. ob desiderium com-  
 munionis.*

CXXXII. **A** Nastasia Virgo cùm à priori Confes-  
 sario plenam aliquoties in hebdomada  
 de communicandi facultatem accepisset, à postea  
 verò non nisi semel communicare permessa fuisse,  
 graviter ea de causa tentatur, & hanc tentationem  
 suam secundario Confessario aperit. *Quæritur, quomodo*  
*modo huic tentationi sit occurrendum?*

*Responsio.*

CXXXIII. Inprimis illi ostendat, quòd omittendo  
 do communionem ex obedientia non modò non  
 perdat de fructu, quem ex ea sperabat, sed potius  
 cretur, nam cùm DEUS voluntatem pro opere  
 putet, quando ipsum opus ob legitimum impedimen-  
 tum præstari non potest, æqualem ipsi gratiam (quæ  
 tem ex opere operantis) conferet, ac si actu com-  
 municasset, sicque suo modo implebitur illud, *M*